

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum
Indultu Facultatis Inclytiae Philosophicae In Celeberrima
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

Lipsiae, 1698

§. IX

urn:nbn:de:bsz:31-102642

ralis dispositio ad eundem trahatur. Ex dictis fluit decisio duarum quæstionum, quæ vulgo agitari solent, (1.) *An detur aequitas scripta*, seu *materialis*, uti vocant? Nam id alio sensu affirmari non potest, nisi quatenus æquitatis vox in generali significatione sumitur, ut æquipollat justitiae; sic enim omni legi regulariter dici posse æquitatem inesse, supradiximus. (2.) *An ē quomodo aequitas à dispensatione differat?* Differunt etiam potissimum quoad *causam efficientem*, & *objectum*. *Causa efficiens* dispensationis est *Majestas*, seu *is*, qui & faciendi, & tollendi legem potestatem habet; *aequitas* autem exercetur à *Judice quovis*, seu *Magistratu*, cui facultas secundum leges pronunciandi data est. *Objectum* dispensationis sunt *actiones*, quas respicit legis dispositio; *aequitas* autem (scil. *specialis*) versatur circa *casus*, qui sub lege generali non continentur.

§. IX.

Quatenus *actiones* considerantur in relatione ad normam legis, divisio carum abit in *bonas*, *malas* & *licitas* seu *indifferentes*. Et *indifferentes* quidem dicuntur, quarum exercitium non est lege limitatum, aut determinatum, sed libertati voluntatis humanæ plenissimè relatum. *Bone* sunt, quæ ad normam legis exactè congruunt. Exactè, inquam, seu per omnes partes; Nam si vel in minima parte aberraverit ab ea *actio*, desinit esse bona; quemadmodum linea ab Architecto aut Geometra ad normam exacta, si vel in minima parte non congruit, desinit recta esse. Ut autem *actio* normæ morali exactè quadret, requiritur, ut adsit in agente *qualitas debita*, *objectum à lege prescriptum*, *finis*, quem illa præcipit, intendi, ceteræque ab ea requisitæ circumstantiæ concurrent. Ita v.g. ut *bellum* sit *justum*, requiritur, ut adsit certa in *subjecto* agente *qualitas*, summum nimicum imperium, (2.) quoad *objectum*, ut geratur in eos, qui *injustè* offenderunt. (3.) ut proscopo sibi præfixam habeat reparationem pacis & quietis communis; item, ut alia mitiora remedia priùs frustè tentata fuerint. Quod si ergo vel unum ex hisce requisitis desit, *bellum*, quod geritur, *justi nomine* venire non poterit. Ex iis quæ dicta sunt, facile colligi potest, quæ sit *actio mala*, quæ nempe vel minimum à norma morali, seu lege ejus directrice deflectit. Ut si in bello non legitimus finis intendatur, sed vel gloria, vel imperii amplificatio.

§. X.